

Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies primus et secundus continentur

Bolland, Johannes

Parisiis et Romæ, 1866

Mariæ Antoniæ Regiæ Principi Hungariæ, Bohemiæ, Croatiae, Slavoniæ,
Dalmatiæ, Hierosolymæ, Archiduci Austriæ, Duci Burgundiæ, Brabantiaæ,
Luxemburgi, Limburgi, Silesiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolliæ, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73889](#)

Bonp. aut. d'eccl. sicut oportet. etiamq. omnesq. ratione omnibus
-eum in pietate oculis suorum orationibus. etiamq. omniq. statu. ut illi
universitatis honorum velutque nullius mortuorum. in omnibus. meritis enim. omnia
eis.
nisi.
nisi. nisi. nisi. nisi. nisi. nisi. nisi. nisi. nisi. nisi. nisi. nisi. nisi. nisi. nisi. nisi. nisi.
MARIAE ANTONIAE
REGIAE PRINCIPI HUNGARIAE, BOHEMIAE, CROATIAE, SLAVONIAE,
DALMATIAE, HIEROSOLYMÆ,
Iugor. operis. id est.
id est. id est. id est. id est. id est. id est. id est. id est. id est. id est. id est. id est.
ARCHIDUCI AUSTRIAÆ,
DUCI BURGUNDIAE, BRABANTIAE, LUXEMBURGI, LIMBURGI, SILESIAE, STYRIAЕ,
CARINTHIAE, CARNIOLIAE, COMITI FLANDRIAЕ, HANNONIAE, NAMURCI, TYROLIS,
GORITIAE, ETC.

Tametsi Augustissima Paren Tua, SERENISSIMA ARCHI-
DUX, pro ingenita Sibi benignitate vereque Austriaca
in Superos veneratione, vastissimi de Actis Sanctorum
Operis per se Ipsa Patrona, ac veluti perpetua Mater
esse jam pridem voluerit: quo tamen hoc Suum tam
singulare praesidium toti orbi Christiano magis magisque
perspectum foret, vivas Ipsa et Sui et Augustissimi Conjugis Francisci I
imagines, Serenissimas nempe ad unam omnes Proles Suas, ejusdem
Operis patronos gratiosissime itidem jam pridem animo destinavit. Hinc
ab Archiduce Regioque Principe Josepho, Augustissimo nunc Romanorum
Imperatore, humani generis decore, dicam, an delicio, felici ducto exordio,
mox Archiduci Mariae-Annae ceterisque Regiis Fratribus Sororibusque,
prout cujusque natalis series ferebat, tomos omnino undecim nuncupare,
ac veluti toties repetitum pro acceptis ab Augustissima Domo Austriaca
beneficiis grati animi vectigal, qua par est, submissione deferre ab annis
fere sex et viginti indultum nobis fuit. Optandum adeo, quin et fidendum
nobis non immerito erat, futurum, ut, postquam ad Ferdinandi Serenissimi
Archiducis pedes tomum Octobris secundum sisti curassemus, mox Tuo,
PRINCEPS REGIA, venerando non minus, quam amabili nomini ejusdem
mensis volumen tertium, totiusque Operis nonum supra quadragesimum,

b annuente

annuente pariter Augustissima Matre, consecrare nobis liceret, tum quod
Illum Tu aetate proxime sequerere, duodecimo nimirum loco nata, et rarissimo,
ne dicam, unico in Augustorum familia exemplo; tum quod Maternarum
virtutum æmula nullique Archiducum, te aetate grandiorum, minor pietate
existeres. Ad vota haec nostra firmamque fiduciam respondit eventus, seu
potius antiqua solitaque Augustissimæ in suos clientes benignitas; nec proin
minori gaudio mox intelleximus, id, quod potissimum a nobis expetebatur,
aspirante Deo, ab eadem Augustissima Imperatrice concessum fuisse, quam
Te singulari Divini Numinis providentia fuisse destinatam, ut Ludovico-
Augusto, Galliarum Delphino, aliquando jungereris Sponsa, Teque interea
temporis sollicito Optimæ Parentis fovendam sinu, quo numeris omnibus
absolutissimum Ejus exemplar forces, haberetque stato tempore Gallia, quo
de felicite certare cum Germania posset. Deus bone! Quanta hinc nobismet
ipsis gratulandi se jam nunc offert materies! Licet enim Austriacorum avidis
oculis substrahenda demum sis, ut aulæ Gallicæ admirationi, totiusque regni
ardentissimis votis concedaris; tamen delatum Tibi Augustissimæ Genitricis
nutu nostri hujus de Actis Sanctorum Operis patrocinium Te nullo non
tempore clementissime servaturam esse, nobis omnino polliceri debemus,
et eo quidem firmius, quo exploratum indies magis sit, quidquid Materna
manu Tibi obvenit, non posse non esse Tibi semper acceptissimum; atque,
ut alia omittam fiduciae capita, quo et penitus perrpectum sit, Te vel a
tenerrima aetate Sanctorum exempla imitanda Tibi proposuisse, et, quam sis
perspicaci ingenio prædita, quam artibus scientiisque Archiduce dignis expo-
lita, tam esse pietate, religione omniumque virtutum exercitio solide excul-
tam, tam æqui rectique tenacem, et, ut verbo reliqua complectar, tam esse
Te Regiis Fratribus Sororibusque similem. Et sane non parum Tibi SERE-
NISSIMA ARCHIDUX, ipsique Regiæ Francorum Familiaæ injurii essemus,
si Tibi, quæ Regio-Apostolicam cum Christianissima aula aliquando mutatura
es, ab avita pietate quidquam decessurum suspicaremur, aut hoc nostri Operis
volumen, benignissimo Tuo Nomini inscriptum, non æque placido vultu
animoque excipiendum esse, sive regnorum virtutumque Sancti Ludovici, ut
fidere fas est, dignissimo heredi, Ludovico-Augusto, Galliarum Delphino,
conuncta fueris; sive in Amantissimæ Parentis Tuæ nostræque Fautricis sinu
quiescas, sensusque ex hoc puro fonte haurias, quos Superi ament et admi-
retur orbis. Sentimus profecto, quam multa, quam fœcunda non modo nobis
ipsis, sed et Tibi totique Galliarum regno potissimum gratulandi argumenta
prætereamus: sed, cum infiniti simus, si vel tantillum singulis immoremur,
facilem, confidimus, veniam dabis, SERENISSIMA ARCHIDUX, ut ad Eam,
a qua tam insigne munus, Deo dispensante, profectum est, MAGNAM loqui-
mur MARIAM TERESIAM, inchoatus redeat sermo. Id semper positum in
more fuit, ac vel ipsa natura hominum animis inscriptum, ut, qui se,
præsertim a Principibus, grandi aliquo benevolentiae testimonio affectos
vident, ii non solum collatum sibi beneficium agnoscant, munifici largitoris
sui manum deosculentur, sed et pares beneficio grates repandant, sin minus
id penes se sit, Mæcenatis sui laudes virtutesque celebrent, et, qua valent,
eloquentia in cœlos extollant. Ea nos lege Augustissimæ Matri tuæ obstrictos
pridem fuisse, novoque rursus hodie beneficio adstringi, tum profitemur
lubentissime, tum apertissime gloriamur. At, cum multo nobis sit consultius,
incom-

incomparabilis hujus Heroidis nostraque munificentissimæ Dominæ innumeræ dotes virtutesque venerabundis oculis suspicere tacitoque pectore admirari, quam vel primis lineis eas adumbrare aut angustis epistolæ finibus velle concludere; ulti præstantissimis quibusque totius orbis oratoribus permittimus, ut alii singularem illam MARIA TERESIÆ toties in gravissimis regnorum negotiis ad stuporem omnium comprobatam prudentiam commendent; alii vel æquissimam in tot ditionum administratione justitiam, vel invictam in debellandis hostibus fortitudinem, vel animi, nullis sortis casibus concussi, excelsitatem pro meritis extollant; alii inter se id oneris partiantur. ut singuli singula virtutum jam perfectarum decora efferant, quæ, ut non vana præsagitione decessores nostri de tenella tum Archiduce MARIA TERE-SIA universim prænunciarunt, Austriacis non solum Heroidibus, sed et ceteris omnibus, quantumvis laudatissimis præteriorum saeculorum feminis Principibus, non æquatura dumtaxat, verum longe etiam antelatura. Eam essent. Hæc aliaque, per nos licet, oratores celebrent disertissimi: nos, qui eorum eloquentia nihil Ejus virtutum splendori addi, nostro vero ac vel ipsorum silentio nihil earumdem celebritati detrahi posse arbitramur; singulas hic vel nominatim recensere mittimus. Ex his tamen unam, quandoquidem hanc nos præterire tacitam prohibet tot tamque ingentium beneficiorum gratissima recordatio, nomine saltem suo commemorasse juverit, Regalem illam perpetuamque Augustissimæ munificentiam, qua nos numquam non suffulsi, fovit, beavit; qua et difficilimis temporibus incolume servavit hoc nostrum Opus, qua denique in eam succrescere molem curat, ut, qui virtutibus incliti legitimisque Cœlitum honoribus affecti fuerint, nulli tandem reperiantur, quorum aut sacri cultus documenta ad Fidelium præsidium, aut res præclare gestæ ad mortalium omnium exemplum, vel ad Ecclesiasticae totius orbis historiae elucidationem, non expendantur atque illustrentur. Tam piam, tam constantem, tam Regiam in nos munificentiam agnoscere quidem ac pervulgare possumus; ut autem æquas ei referamus grates, impares nos prorsus fateri compellimur. At, quas per nos referre nequimus, ipsi, quod votis omnibus postulamus, pro nobis gratias rependent Cœlestes, quorum Acta Tuo, SERENISSIMA ARCHIDUX, benignissimo nomini nunc inscribuntur. Ut porro ex recepto more quidpiam de iis præmittamus, sunt eorum ex Ecclesiastico Ordine præcipui, *S. Marcus*, Romanus Pontifex; *B. Adalbero*, Herbipolensis antistes, Lambaci in Austria Superiore præcipue cultus, ac vel, dum viveret, Leopoldo, inter Austriae Marchiones hujus nominis tertio, magna in veneratione habitus; *SS. Apollinaris*, *Marcellinus*, *Froilanus*, *Attilanus*, *Artaldus* aliique clarissimi episcopi, et hisce ordine quidem, at sanctitate non impar *S. Meinulphus* diaconus. Ex monastico Ordine primas facile tenet religiosissimæ Cartusiensis familie patriarcha *S. Bruno*, toti orbi notissimus; sua tamen celebritate non carent *S. Galla*, Symmachi consulis filia, monialis Romæ, *SS. Placidus* sociique *Martyres*, aliique monastica vita sanctitatem adepti, quos subjecta voluminis hujus Synopsis exhibet. Inter complures Martyres eluent *SS. Sergius* et *Bacchus*, ac præ ceteris sui sexus Martyribus *S. Fides*, tenella virgo, multis olim per universam fere Europam prodigiis beneficisque notissima. Hos omnes reliquosque Cœlestes, non modo Tibi, SERENISSIMA ARCHIDUX, et Augustissimæ Genitrici, totique Domui Austriacæ proprios perpetuosque patronos exoptamus, sed et Deum enixissime

sime orare non desinemus, ut, quæ olim Tertulliani temporibus Fidelium, ac Sanctorum præsertim pro suis Principibus vota erant, eadem nunc ipsorum, proprius suæ gratiæ throno admotorum vota exaudiat, detque adeo Augustissimæ Parenti Tuæ Fratrique Augustissimo Cæsari Josepho II *Vitam prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum*; Tibi vero eum bonorum cumulum impertiat, qui vel ipsa Tui amantissimorum desideria longe exsuperet. Per Te videat Gallia, tot Regiorum Capitum, quæ nuper summo suo dolore amisit, immensam reparari jacturam; per Te videat, et, ut bene præsagit animus, per Te videbit, non solum Mariæ Leczinskæ, religiosissimæ illius Galliarum Reginæ heroicam pietatem, amplissimam in egenos liberalitatem, Regalem in ædes sacras munificentiam, firmissimum tuendæ Catholicae Fidei ardorem paratissimumque omnibus bene faciendi studium æquali gloria exhiberi, sed et destinati Tibi Sponsi optimorum Parentum una cum clarissimis dotibus beatam illam fecunditatem repræsentari, qua, qui abs natis ex Maria-Josepha Austriaco-Saxonica quinque Regiis Nepotibus se salutari avum gavisus est, a totidem, quin et pluribus ex Te nascituris utriusque sexus Principibus se proavum aliquando salutari Rex Ludovicus gaudeat. Denique, ut universam Domum Austriacam summis favoribus Deus cumulet, ut seri Omnes in cælum redeatis diuque lœti intersitis populis, impensisime exorare non omittemus.

SERENISSIMA ARCHIDUX

SERENITATIS TUÆ ARCHIDUCALIS

Devotissimi Clientes

CONSTANTINUS SUYSKENUS

CORNELIUS BYEUS

JACOBUS BUEUS

JOSEPHUS GHESQUIERUS

SOCIETATIS JESU.